et deo seruire cum dilectione incipiamus. Nota quia timoris iiii sunt. duo terreni et duo
diuini. Unus est quo homines timemus ne nobis nostra auferant. et ideo peccamus. vel quando cuique propter
aliquem timorem peccamus ne uiles simus. ne derideamur. sicut qui lecatores efficiuntur. de quo plurima
dominus dicens. Nolite timere eos qui corpus occidunt. et iste timor uocatur humanus. Est alius
timor qui uocatur seruilis. quo penam timemus. et ideo non peccamus. et tamen uoluntatem peccandi non amit-
timus. sicut iudei qui per solam formidinem a malo abstinebant. nec aliquam dilectionem in bono
faciendo habebant. nec deum diligebant. Hi duo timores nichil faciunt ad salutem.
sed nocent. Sunt alii duo. Unus est quo deum timemus propter gehennam. et ideo a malo abstinemus. sed tamen
est dilectione boni. et sine uoluntate peccandi. et ita deum diligere debemus incipimus. Hunc timorem
iubens dominus dicit. potius timete illum qui habet potestatem corpus et animam mittere in gehennam ignis.
De hoc timore dicitur. Initium sapientie timor domini. Tunc enim deum timemus. cum per timorem diligimus. et tamen penam timemus
cum deum diligimus et tamen a malo propter penam abstinemus. iste timor initialis est. in perfectorum et tamen sal-
uandorum. qui uis non habent perfectam caritatem. perfecta enim caritas foras mittit timorem. Hic
initium. quod habet perfectam caritatem. etsi nullam penam esse sciret. tamen deo solum ex dilectione ser-
uiret. et eum offendere timeret. Ut bona coniux que adeo diligit uirum quod eum offendere
uereretur. licet si peccauisset se uerberandam non esse cognouit. et ita est in perfecta caritate timor
reuerentie. non penarum. Quartus ergo quem in christo fuit timor qui est initium sapientie. in quo fuit semper per-
fecta caritas cum propheta dicat. et repleuit eum spiritus timoris domini. Sed sic uoluit tedere et
pauere. et timere penas passionis. sicut et timuit penas gehennales. non propter se sed propter nos. et tamen
ex perfecta caritate quam in conscientia habebat. quod si omnes pene deessent deum tamen non offenderet.
Notandum quod de singulis uirtutibus proueniunt beatitudo. Ait enim. Beati pauperes spiritu. id est uoluntate
non coactione. Beati mites. de paupertate nascitur mansuetudo. Mitis est qui propter nullam iniuriam
vel dampnum commoueri potest. quia et terrena de amissis non potest non commoueri. Sed uere pauper sicut
nec habita amauit. ita nec propter amissa dolet. Hec est illa uirtus quae laudatur in moyse. Si autem
peccabat. tamen mitis erat. et ex zelo iustitie non recederet a caritate. de hac autem ait
dominus. discite a me quia mitis sum et humilis corde. Hinc oratur cum dicitur. et ne nos inducas in temptationem.
aliud est temptari. aliud in temptationem induci. id est temptando succumbere. tunc autem fidelis. et illud
orat ne contingat. Temptatur fidelis dum iniuriatur. dum sua auferuntur. In temptationem inducitur. si do-
leat et dolore affligatur. Istam mansuetudinem dat spiritus sanctus pietatis. Si autem hoc est et mitte sed nec
esse est. sed queritur quomodo pauper potest sine ista saluari. cum singule uirtutes dicantur beatitudinem
conferre. Sed notandum quod aliud est habere uirtutem. aliud exercitium uirtutis. Pauper ergo
habet mansuetudinem in uirtute. sed non habet eam aliquando in exercitio tamen. tamen non ideo habet contrarium aliarum.
nam si haberet et contrarium alius uitaret. illud quod dicitur contingeret. qui offendit in uno. reus est omnium.
Beati qui lugent. Quamuis fideles rebus mundi abdicauerunt. quamuis de iniuriis non doleant. tamen in multa
incidunt aliquando. et ideo necessarie sunt lacrime que semper abluant. quia semper peccamus. et in miseriis
huius mundi. nos esse uidemus. et dolemus et de peccatis proximorum. duo sunt genera compunctionis
quando pro miseriis huius mundi et pro peccatis nostris gemimus. vel desiderio celestium. Unde filia caleph
petiuit a patre irriguum superius. irriguum inferius. quia anima petit compunctionem a deo
et pro peccatis et pro desiderio patrie celestis. luctum autem promissionis uite huius et desiderium
superne patrie non habet nisi solus pauper. et mitis. qui mundum non diligit. Sed quod miser est recognoscit.
et ideo celum concupiscit. hiis lugentibus et pro suis et aliorum peccatis conuenit postulare.
dimittere nobis d. n. s. e. n. d. d. n. Hec est uirtus qua miseriam mundi sentit. et a

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Lat 292, (seq. 9) – Commentaries on Matthew IV, 3-V, 22 (https://fragmentarium.ms/view/page/F-rpfm/1264/16942)